

00B5

U

9/482
a



5
DODECA-
DISFATI-
DICÆ

JANI CHUNRADI RHU-
MELI PHILOSOPHI MEDI-
CI DODECAS EPICA

MALEACI
ET TRIBU
LEVI,

In Sophirâ.
ANNO

HeV non Ipsa plos fVgIVnt DisCrIMIna VIta.

1627.



NORIBERGÆ,
Typis HALBMAYERIANIS.

Amplissimo & Prudentissimo Viro
Dn. CHRISTOPHORO
GIRSNERO.

FLORENTISS. SPQN. PRIMICERIO
EMERITO FAUTORI AMICISSI-
MO AMICO FAVENTIS-
SIMO.

Ex solempni Sponsu

HANC PARAPHRASIN PROPHE-
TÆ MALACHIÆ
Poeticam.

STRENAM SOLEMNEM,

ANNI

A MUNDO NATO 5597.

CHRISTO RENATO 1627.

L. M. D. D. D.

	[Majestas IMPERATORIS sancta.
		Septem virorum auctoritas magna
		Statuum omnium privilegia in Tuto
[Publico ut sit	Pax publica sine discrimine
		Ordinum de vindictio sine suspitione
		Moneta sine detrimento
		Totius Germania solus aequalis.
[Cum voto	Templo Sacerdotes sine furo doceant
		Curia Senatores sine adfectu consulant
		Foro Iudices sine respectu decernant
		Exercitu Duces prudentiam & felicitate valeant
		(CAND)
[Privato ut in	Acie milites obsequio & robore vin-
		Covictu conjuges concordas vivant.
		Libertate tuenda Nobiles confidenter
		consentiant
		Commercio Mercatores pretia rerum
		juste aestiment
		Agvis colendis Rustici diligenter la-
		borant.



PRÆSCRIPTIO.

Antiquissimæ & optimæ Reli-
gionis nostræ, (in quâ D e i manife-
stata Simplex & infallibilis veritas,
atq; sapientia solida & immutabilis)
antistites Sanctissimi, rectè & piè ad-
ventum Christi nobis Triplici modo consideran-
dum proposuerunt, ut Humilem ratione præteriti,
ut Agilem præsentis, ut Terribilem futuri temporis:
Vel sub incarnationis, sanctificationis, & ultionis
Nomine. Humilem antecesserunt mutationes stu-
pendæ. I. Sceptri Judaici in gentem alienam trans-
latio. II. Virginis in Matrem conversio. III. D e i
Homini facti. IV. Angelorum in Legatos destina-
tio. V. Novæ stellæ ad fidem ducentis Magos ap-
paritio: quæ refulsit Diei luce albescente in oriente;
ad motum eorum se movit & ad quietem queivit: ab
ortu in meridiem se convertit: Illis Hierosolymæ
commorantibus evanuit: in Bethlehemi profectis
iterum apparuit: à summitate coeli descendit; & ter-
ræ propior facta stetit: atque domum certam & sin-
gularem demonstravit. Et quare non hunc ante-
cesserint? Cum & ipse Adveniens nos in sui stupo-
rem convertat: Venit enim Zachariâ teste R E X
splendore natalium illustris, Egressus cujus ab initio
A 2 est, à

est, à diebus æternitatis: Familiâ magnus, in quâ Patriarchæ, Reges, Duces, publicæ, privatæ personæ, Nobiles, ignobiles, Pauperes, Locupletes, Judæi, Gentiles vixere. Regno præditus triplici Potentiæ; Gratiæ, Gloriæ, non onera imponens gravia, sed exactiones ipsas tollens à subditis, & suis humeris advolvens. Venit Rex mansuetus ore, mitis more, & humilis corde: Venit faciens justitiam & judicium in terrâ contra culpam scelerum: Venit Salvator contra poenam damnationis: Venit Liberator, à vi peccati, cujus eramus captivi, à jugo Sathanæ, cujus fuimus mancipia: Venit adjutor, in morbis incurabilibus, calamitatibus publicis, casuum variorum improbitate: Venit tutor ab insidiis, à persecutionibus impiorum: Venit Nominè Jesu Magnificus, ab æterno divinitus illi reservato, ab Angelo ipsi solenniter imposito, coelestibus mentibus reverendo, Terrestribus salutari, piis dulci & amabili, Sanctis glorioso & honorabili, Dæmonibus terribili, hostibus inexpugnabili: Venit Pauper, non faciendo superbe, sed humiliter, patièdo vitam injustam, summâ integritate vitæ: natus nocte sub obscurâ, hominibus somno indulgentibus: tempore iniquissimo, & à pompâ alienissimo, hyeme asperrimâ, pro palatio inhabitans stabulum, pro Aulico comitatu habens Bovem & Asinum, pro cunis, præsepe, locum jumentis paratum, unde sumunt pabula; pro Aulæis laceros panniculos; pro stragulis nodosum stramen; pro culcitrà fenum, pro quiete fugam, pro ciborum apparatu, famem; pro potu aquam. Venit
formâ

5

formâ rationi scandalosâ, manibus miracula pa-
 trantibus, ore eloquiorum pleno, diffusâ in labiis
 consolationum gratiâ, contrâ desperationum La-
 queos, & judicii divini Eculos: Venit victor Dia-
 boli, Legis suppletor, peccati deletor, mortis domi-
 tor, Orci triumfator: Dum obsequio summo Patri
 præstito, mortuus est pro injustis justus, Dominus
 pro servis, pro agris Medicus, pro grege pastor, pro
 populo REX, pro milite ductor, pro opere opifex,
 pro homine DEUS, pro nocentibus innocēs, O pau-
 pertatem gratiosam! in qua inimitabilis prudentia!
 Justitia ineffabilis, Fortitudo admirabilis ἀμαχῶ!
 Hujus beneficio pro egestate divitias innocentiae,
 pro nuditate vestimenta Charitatis, pro fame pa-
 nem, ex altis descendentem, pro siti potû perennem
 aquarum vitæ celestium suscepimus. Sceptrum ve-
 rò ejus Regium est, LOQUIPACRM inGentibus, Hoc
 est Ministerium VERBI quod per legem ostendit,
 quæ opera DEO placeant, per Evangelium quomo-
 do placeant: & Mysterium sacramentorum: Ba-
 ptismi, quem D. Basilus Ἀιχμολώτοις λύτρον ἠφειλημέτων
 ἀφισιν, ἴναιον ἀμαρτίας πάλυγγανείαν ψυχῆς, ἔνδυμα Φαλαίνο, σφραγίδα ἀνεπιχείρητον ὄχημα πρὸς ἕργον, Βασιλείας πρὸς ἕρον, ἠοθησίαις χείρισμα justè appellat, in quo fit solennis con-
 testatio & sacrosanctæ stipulationes & sponsiones.
 Nos & religionis cui assensu fuimus, & fidei cujus
 Nomen induimus, & Sacramenti, quod accepimus,
 numquam proditores fore, sed pactum, quod præ-
 eunte Christo Redemptore summo omnium rerum
 Conditori patri juravimus, constanter & sincerè ob-



servaturos atque servaturos: & Eucharistiae in quo
 Sacramento, mandante R E G E Gloriar, qui via er-
 ranti, veritas docenti, vita dubitanti; cum pane cor-
 pus ejus edimus pro nobis traditum in mortem;
 cum vino sanguinem pro nobis effusum bibimus;
 motum sentimus, modum nescimus, praesentiam
 simpliciter credimus! Horum Mysteriorum admi-
 nistros habet fideles sanam doctrinam, officio, vitam, con-
 scientiam: Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pasto-
 res, Episcopos, Doctores, interpretes scripturarum
 tanquam Οικονομος Καλῶς παικίλης χρίστῳ Ἰησῷ, &
 λειτουργῶς Ἰησοῦ χριστοῦ, λειτουργῶν τὸ εὐαγγέλιον ἕθνεσιν: ὑπηρε-
 τῶν χριστοῦ, ὁμιλητῶν μυστηρίων θεοῦ qui sibi conversionem,
 quae UNIVS DEI opus est, non ascribunt, nec con-
 scientiis dominantur, & Mysteria ratione humana
 proscribunt, ὡς λόγια θεοῦ interpretantur. Et si verò hi
 à multis contemnantur ratione officii: quòd Deo
 quem nemo videt, inserviant, procurent salutem a-
 nimae quam nullus ferè credit: arguant peccata quae
 omnes patrant: Mercedem tandem Gloriar immar-
 cessibilis, in caelis olim magnam sui felicitate reporta-
 bunt. Potestas porrò ejus est à mari ad mare, & à flu-
 minibus usque ad finem terrae. Haec est ea ipsa Eccle-
 sia Catholica, Apostolica diffusa per omnia loca, uni-
 versa tempora, varias nationes, singulos populos,
 cunctas personas: quae coetus sanctorum ex fide re-
 ctam & optimam vivendi rationem collectus, in quo vera
 Dei agnitio floret, puritas cultus viget, mentis illu-
 minatio fulget, concordia doctrinae constat, vitae
 sanctitas exercetur, communitas capituli habetur,
 dura-

durationis æternitas videtur. S S. Scripturæ integri-
 tas curatur, interpretatio *κατὰ τὴν ἀνεκλόγητον πίστεως* pro-
 nunciatur, Traditiones verbo DEI consentaneæ
 conservantur, judicia incorrupta in controversiis ex-
 ercētur, Concilia legitimè in spiritu sancto congre-
 gata, magni fiunt, Patrum antiquorum in oriente &
 occidente sanæ sententiæ æstimantur! Cultus deni-
 que ipsi debitus exultatione Sionis & jubilatione Fi-
 liæ Hierosolymorum absolvitur; quæ consistunt, in
 purgatione mentis, conversione ad DEUM, poeni-
 tentiâ, fide, confessione, oratione. Hisce adminicu-
 lis in peregrinatione hujus vitæ valde viarum lubri-
 citate dubiæ: ad summum nostrum Amicum qui
 sapientiæ inexhaustæ legem, & veritatis insupera-
 bilis Regulam ex sinu patris nobis feliciter adporta-
 vit, & sapienter aperuit Christum securè pervenimus:
 Hisce Diabolum summum nostrum inimicum i-
 gnibus fatuis falsæ, persecutionum ventis, reproba-
 tionis telis ignitis nostri itineris cursum inhibentem,
 per patientiam omnia vincentem mala, & spem o-
 mnia bona constanter expectantem; fortiter proster-
 nimus: Hisce comitem vitæ nostræ proximum cõ-
 cordiâ, amore, pace sublevamus, & illius infirmita-
 tem robore promovemus, paupertatem divitiarum
 ope solamur, tarditatem expectatione ad celerita-
 tem traducimus! In adventu agili mutationes etiam
 admirandæ contingunt. I. Fides quod non vides.
 II. Patientia quod vides. III. Spes quod credis.
 IV. Nascentia & renascentia. V. Crux lætitia: Hujus
 interventu, verbo & spiritu quotidie renovamur,

veritate & consolatione indies vivificamur, redem-
 tionem grati agnoscimus, F I D E I manu gratis ap-
 prehendimus, & nos ad tertium adventum ritè præ-
 paramus. Hujus beneficio unam veritatem statui-
 mus, quæ Primicerii R E G I s illius, cui obsequium
 perenne meritò debemus, de ipso recensuerunt: :
 quod promissus patribus, conceptus à spiritu san-
 cto, natus ex perpetuâ virgine, E M A N U E L: VERUS
 DEUS ET VERUS HOMO factus sit, adoratus à Ma-
 gis, & ut REX, auro, ut DEUS, thure, ut HOMO, myr-
 rhâ donatus: summâ DE I patris solitudine adver-
 sus Herodis Antipæ Hypocriſin fraudulentam, ejus-
 que crudelitatem immanem defensus, in Ægyptum
 fugerit, ex illâ in Judæam, sub Agesilao revocatus, in
 Nazareth Galilææ habitârit, præcursorem habuerit
 Zachariæ filium, Johannem Baptistam, præconem
 poenitentia, & usurpatorem primæ Baptismi, &
 ab hoc ipso Jordanis aquâ lustratus, DE I Patris testi-
 monio, FILIUS DILECTUS declaratus fuerit, Ter
 congressus sit cum Diabolo tentatore, Famem illi
 objiciente, ambitionem & vanam gloriam obtru-
 dente, potentiam atque voluptatem promittente;
 discesserit à Nazareth in Capernaum in finibus Ne-
 pthali & Zabulon, ad lacum Tiberiadis situm oppi-
 dum. Inchoârit ministerium, vocavit Apostolos, au-
 toritate munierit, indefesso studio prædicârit, mira-
 cula plurima & sanitates admirandas fecerit: blas-
 phemias Doctrinæ & operum à Judæis reportavit:
 Ejectus à Nazarethans offensis obscuritate, quò
 originem trahebat, & ignobilitate artificii, quod ex-
 ercue-

ercuerat, atque familiari notitia & consuetudine quam cum istis contraxerat: Quòd perpetuitatem Ecclesie & victoriam contra portas inferorum promiserit, Claves regni coelorum sancierit, & in monte Tabor in concilio primo, quo præfidente patre DEO, ex priori seculo Moses, Elias apparuerunt: ex posteriori, Legato, JESU; Petrus, Johannes, Jacobus Apostoli adseffores congregati fuêrunt, constitutus sit summum caput suæ Ecclesie, & ÆTERNUS DEI FILIUS annuncians voluntatem patris de nostra beatitudine, qui suâ obedientiâ Decalogum impleat, passione peccata expiet, iram Patris reconciliet, vitam æternam reparet, Thesauros incomparabiles per Evangelium & Sacramenta distribuât, spiritu sancto his fretos illuminet & regeneret, atque Judex incredulorum & impiorum ejus merita, verba, spiritum, nefariè contemnentium futurus sit! Quod absoluto ministerii cursu animum tristitiâ repleverit, corpus dolore exercuerit, poros corporis sudore sanguineo infecerit, Judam osculo prodentem admiserit, cœtum discipulorum fugientem viderit, Judæos accusantes audiverit, senatum consultantem observârit, Petrum abnegantem aspexit, Pilatum trepidantem tolerârit, Phariseos calumniis lædentes perpessus, populum persequentem clamore senserit, Herodem insultantem, milites adfligentes patienter sustinuerit, mulierculas condolentes, Nicodemum & Josephum sepelientes experitus: innocentie miraculosa testimonia, Velo scisso, Terræ motu, Petris dissiliantibus, apertis morte sublato-

latorum monumentis, Timore militum, tremore
 turbæ, metu centurionis habuerit: custodiam sepul-
 cri, obfignationem lapidis obvoluti, non curârit, sed
 gloriose à mortuis resurrexerit, Apparuerit ipso die
 resurrectionis ^{1.} Mariæ Magdalenzæ, ^{2.} Magdalenzæ,
 Johannæ, Salomæ, Mariæ Jacobi, ^{3.} Petro, ^{4.} duobus
 discipulis Emaunta euntibus, ^{5.} Discipulis in quo-
 rum medio stetit. Deinde die à resurrectione octavâ
^{1.} Discipulis præfente Thomâ ^{2.} Simoni Petro, Tho-
 mæ, Nathanaeli, Filiis Zebedæi piscantibus ^{3.} Jaco-
 bo. ^{4.} plus quam quingentis fratribus simul ^{5.} Disci-
 pulis in Bethaniâ monte oliveti. Testes habuerit re-
 surrectionis Angelos, commiserit prædicandum E-
 vangeliûm in universo Terrarum orbe, & admini-
 strandum Baptismaum credentibus: asseverârît præ-
 sentiam suam Ecclesiæ ad seculi consummationem:
 ascenderit ad cœlos; sederit ad dextram Patris omni-
 potentis & Spiritum sanctum miserit. Hujus ad-
 ventus efficaciam preces facimus pro omnibus homi-
 nibus, easq; distinguimus I. in *δέουσις* deprecationes
 iræ, & bene meritæ *Δεξι* vindictæ; quibus amolimur
 bella, famem, pestem, turbationes legum, judicio-
 rum, *ἀποζημιών* in contractibus, emtionibus, venditioni-
 bus. II. in *προσευχὰς* obsecrationes melioris successus,
 in rebus spiritualibus & corporalibus: quibus ac-
 cersimus bonam valetudinem, Terræ fecunditatem,
 tempestatem commodam, pluviam frugiferam,
 Pacem Ecclesiæ, prosperitatem Curie & quietem
 focis privatis. III. *ἐπιτιμίας*, interpellationes pro sum-
 mis infimis, sacris profanis, fatribus sanguinis vin-
 culo

culo & Religionis necessitudine nobis conjunctis
 Amicis & inimicis quâ verbis quâ factis in nos in-
 juriosis. IV, in *inversus* gratiarum actiones pro be-
 neficiis tam divinis quàm humanis acceptis.

Hujus adventus operâ molestiam temporum,
 & seculi hujus infelicitatem, ubi credere quæ velis;
 culpa: & quæ credas dicere poena: atque quæ debe-
 bas credere error est, discutimus. Ex hoc oritur in
 DEO spirituale Gaudium, quo DEUM licet cadentem,
 prementem aut affligentem Patrem nostrum
 profiteamur, omnis expertem mutationis; ei con-
 stanter adhæremus & palam laudamus. In quem
 sensum pia vox S. Augustini: Abundant tempestates
 in mundo? sed major est qui fecit mundum: Abun-
 dant tentationes? sed non deficit qui in illo spera
 ponit, in quo defectus nullus est. Qui te flagellat in
 isto seculo, ad emendationem non ad damnatio-
 nem facit: Et cum blanditur, Pater est, & cum cædit,
 Pater est, blanditur ne deficias, cædit ne pereas. Et si
 enim varis sint hujus vitæ vicissitudines, & gaudi-
 um cum dolore, Pax cū discordiâ, quies cum motu,
 Sanitas cum infirmitate, Lumen cum tenebris, La-
 bor cum dolore, Risus cum fletu, gaudium cum lu-
 &u conjungantur ferè semper; Tamen si appenda-
 mus quod patimur, contra id quod speramus: hoc
 nunc sentimus, illud credimus: & tamen plus est,
 quod credimus quàm quod sentimus. Hujus adven-
 tus subsidio exactiones magistratum, vicinorum
 infidelitatem, Agnatorum perfidiâ, inobedienti-
 am familiæ, liberorum petulantiam, Mulierum per-
 vica-

vicaciam summa modestia & mansuetudine sustineamus: Hujus adventus praesidio omnes curas & sollicitudines, quae nos in officio, vocatione, statione, labore, sudore incurfant in, DEUM solum transferimus illique soli pro liberatione à malis praeteritis, pro remuneratione bonorum praesentium, sacrificium laudis offerimus, immensam ejus misericordiam quia *πολύσπλαγχνος ἡ οὐκ ἐλεεινὸν* IN CHRISTO Mediatore devotè appellamus, ut gloria nominis sui praevia, nos ab omnium periculorum inundatione immunes, tutos & securos praestare dignetur.!

Hujus adventus remedio Pacem externam, Tutelam contra inimicos, Alimenta contra famem, sanitatem contra morbos impetramus, imò quae major hac est internam confortationem cordis in mediis adversitatum tormentis, spem gratiae divinae & vitae aeternae possessionem acquirimus. Etsi verò haec doctrina adeo simplex sit & innocentiam vitae, patientiam malorum, & constantiam fidei munita, adeoque una atque aeterna veritas coelitus patefacta, per eum qui è sinu patris illam protulit; cum esset mysterium à seculis absconditum ut auro Arabico cariorem, gemmis Indicis preciosiorem, melle attico dulciorem meritò quot quot sunt hominum illam habere & Thesauris mundi hujus infinitis proferre deberent: Illa tamen Judaeis grande scandalum, pagani mera stultitia fuit. Judaei & inter illos Pharisei genus hominum peculiariter & ubique Christo infidiosum hostile & acerbum, propter humilitatem personae, quem Fabri filium censebant, propter mirabili-

rabilitatem partus, ex patre sine matre genitum : & ex matre sine patre natum audiebant, ob pœnam quam tanquam maleficus sustinuit, ob permissionem afflictionis suorum cultorum atque Evangelium rationi stultum & impossibile illam sectam habebant, cui ab omnibus contradiceretur, & inquam omnibus pœnarum generibus animadverte- retur, nec nisi cruore fuso extingueretur. Inter Paganos ipsum Nomen Christiani criminofum erat, etiam illis qui ab omni alio crimine puri atque integri essent, & vulgi clamoribus innocentium hominum sanguis concessus ut Nominis tantum & sectæ rei fierent. Professionem, exitiabilem superstitionem, pravam & immodicam, amentiam, perversitatem, inflexibilem obstinationem, contagium superstitionis anilis, Confessores ipsos maleficæ & superstitionis novæ genus hominum Latebrosum, & lucifugam nationem appellabant illisque crimina *δύσφημοι* nempe *λυχνίος, ἀνατροπήν, καὶ ἀνανδεῖς ρίζεις, καὶ ἀνδρωπέων στερκῶν βορρῆς*, everfiones luminum, mixtiones inverecundas & œdipodeos incestus, atque carniarum humanarum esum vel Thyestæa convivia objiciebant. Cætus illorum ante lucanos illicitis collegiis annumerabant, cum tamen essent *διδασκαλεῖα σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης*: Abinde odio immani erga illos accensi eferâ crudelitate ferarum tergis contectos, abs canibus dilaniari patiebantur, crucibus affigebant, flammis torrebant, crucibus & stipitibus imponebant, unguibus deradebant, gladio detruncabant, ad Bestias impellebant, ignibus urebant, in metalla da-

ΜΙΝΑ-

manabant. Quæ tamen omnia tormenta & supplicia
 & cruciatus admirandâ & stupendâ patientia atque
 felici constantia plerique fortiter pertulerunt, nec
 illos eadem sinceritate cordis eadem fidei tenacis
 integritate concussis, præceptorum cœlestium ra-
 dicibus nixos & Evangelicis traditionibus robor-
 atos, præscripta exilia, destinata tormenta, rei fami-
 liaris damna, & corporum supplicia tenuerunt.
 Quin nec ad supplicandum imaginibus thure & vi-
 no, neque ad maledicendum Christo unquam co-
 gi potuerunt. Unde tot millia Martyrum re-
 censentur: quorum reliquias superstites Christi-
 ani colligere & asservare in Ecclesiis (quas ipso-
 rum memoriæ consecrantes extruebant & *μνηστέια*
 vocabant) pio & optimo Exemplo solebant.
 Immo illorum Natales dies quibus & vitam hanc
 profuderunt, ut ad immortalitatem transirent, ce-
 lebrabant: quod illorum sanguis instar lætaminis
 cujusdam fecundus subindè novas fidelium qua-
 si segetes producebat. Erat hæc olim illorum
 compromissio Sanctaque confæderatio. NEMO
 NOSTRUM SCELERATUS AUT NEQUAM
 ESTO, & in conventibus communionis sacras ce-
 lebrare, decem præcepta DEI, Symbolum Aposto-
 licum recitare, ipsis solenne erat atque orare pe-
 ctore. Imperatoribus vitam prolixam, imperium
 securum, Domum tutam, exercitus fortes, senatum
 fidelem, populum probum, orbem quietum, De-
 cantare Psalmos sanctos, & odas, Hymnos augu-
 stos, in laudem DEI & Christi atque sanctorum
 ejus,

ejus. Diaconissas habebant viduas quasdam, annua
 quibus cura pauperum & carcerum victorum, &
 peregrinorum seu hospitem & pleraque alia pie-
 tatis officia erant commendata. Extra Synaxes
 sacras, convivium instituebant (*αἰσώματα* vocabantur)
 quibus ad vinculum mutuae caritatis, una cibum
 capere promiscuum facilem paratu, & obvium
 & innoxium, justè paratum & absque maleficio quò
 non constaret & multorum pecudum carne &
 sanguine in more erat positum, & jejunia solen-
 nia observare. Hæc itaque fuit vita veterum
 Christianorum, ut si denotabantur, gloriabantur:
 accusabantur? non defendebant se: interrogaban-
 tur? ultrò confitebantur: licet illis ad negan-
 dum tormenta adhibebantur: damnabantur?
 gratias agebant Rei facti Nomine tantum non cri-
 mine gaudebant. Religionem defendebant,
 non occidendo sed patiando, non scelere sed fide,
 non sævitiâ sed patientiâ, bonâ mente non tormen-
 to, puro pectore, non fallaciis, vita innocen-
 te, non peccatis. Licet verò quorundam mol-
 lities atque defectio mortem gravem & formi-
 dosam statuentium, famæ naufragium fecerit,
 multis tamen non animus sed corpus in dolore
 defecit: stetit mens stabilis & fides fortis, cum
 jam fatigatum flagella scinderent, nunc con-
 tunderent fustes, nunc Eculeus extenderet, nunc
 ungula effoderet, nunc flamma torreret. Caro
 illos in colluctatione deseruit, infirmitas visce-
 rum cessit. Qui abnegarunt verò CHRISTUM
 tormen-

tormentis persecutorum oppugnari & suppliciis
 territi: illi vel dicebantur sacrificati & iurifica-
 ti, qui sacrificia reu. idolis & eorum armenta impo-
 nerent atque tollerent. Dum autem ad nefan-
 dum sacrificium voluntate proficerent, aut post
 congressum, & luctam aliquam cum adversariis ad
 hoc funestum opus necessitate pervenerint vel Li-
 bellatici qui aut redempto à Magistratu libello da-
 toque præmio immunitatem sibi compararint e-
 dendæ confessionis, aut thura quidem idolis non in-
 cenderunt, sed per libellos tantum Nomina dede-
 runt, inter paganos. Hoc nostro seculo non adeo
 alienum est utrumque: & defendere constanter re-
 ligionem (quæ multis improbæ obstinationis instar
 est) & Leviter abjicere, quod præmium gloriæ arbi-
 trantur plurimi, imò solenne nonnullis, arma quæ
 tam infelicem sortiuntur exitum pro religione vel
 adversus religionem suscipere, & præliis cruentis
 depugnare, sed quam malè à veteris Ecclesiæ admi-
 rabili simplicitate degenerent hi conatus improbi:
 cuiuslibet obvium esse potest. Malunt enim Boni ca-
 ritate & benevolentia, persecutorum sibi compara-
 re amorem, quam crudelitate & violentiâ. Scientes
 cum ab aliis damnentur, à Deo illos ipsos absolvi, &
 nihil aliud in illis puniri posse nisi NOMEN. Valeant
 ergo consilia illorum fraudulenta qui religionem
 imperandam suadent, quæ divini Numinis gratia
 bene preparatis mentibus infunditur! aut convin-
 cendam oppositionibus syllogismorum ex igne, a-
 qua aut laqueis confectorum, qui fortius quam pri-
 ma si-

mæ figuræ dicuntur, concludant atque ubi mors
necessariò ingrediatur conclusionem disputandi ra-
tione ab Apostolis & Ecclesiæ doctoribus dissentien-
te, qui gladio oris, non ore gladii, Martyris non
cruentis cædibus, religionem per civitates, per op-
pida, vicos, & agros, imò totum terrarum orbem
profeminarunt nec carnificinam cum pietate, veri-
tatem cum vi, justitiam cum crudelitate conjunxe-
runt. Est ea sana religionis libertas, quò gravius pre-
mitur atque affligitur, eò lætius emergit & latius dif-
funditur.

Duris ut Ilex tonsa bipennibus

Per damna per cædes ab ipso

Ducit opes animumque ferro.

Est eadem ipsius recta ratio, ut fides in ea conser-
vata & ipsi DEO grata sit, & sibi ipsi addat auctori-
tatem. Dicat Pictaviensis Episcopus liberè sententi-
am suis propriis verbis: Miserari licet nostræ ætatis
laborem & præsentium temporum STULTAS O-
PINIONES congemiscere, quibus patrocinari DEO
humana creduntur & ad tuendam Christi Ecclesiam
AMBITIONE SECULARI laboratur: Oro vos Epi-
scopi, qui hoc vos esse creditis? Quibus nam suffra-
giis ad prædicandum Evangelium Apostoli usi sunt.
Quibus adjuti POTESTATIBUS CHRISTUM præ-
dicaverunt, Gentesq; verè omnes ex idolis ad DEUM
transtulerunt? Anne aliquam sibi assumerent è Pa-
latio dignitatem, Hymnum DEO in carcere, inter
catenas & post flagella cantantes, edictisque Regiis?
Paulus, cum in theatro spectaculū ipse esset, CHRI-

B

STO

esto Ecclesiam congregabat? Nerone se credo aut
 Vespasiano aut Decio patrocinantibus tuebatur,
 quorum in nos odiis confessio DIVINÆ PRÆDICA-
 TIONIS EFFLORUIT. Illi manu atque opere se a-
 lentes, intra Cœnacula secretaque coeuntes, vicos &
 Castella gentesque ferè omnes terrâ ac mari contra
 senatus-consulta & Regum edicta peragrantes,
 claves credo regni coelorum non habebant? aut non
 manifesta setum DEI VIRTUS contra odia huma-
 na porrexit cum TANTO MAGIS CHRISTUS PRÆ-
 DICARETUR QUANTO MAGIS PRÆDICARI
 INHIBERETUR. At nunc proh dolor DIVINAM
 FIDEM SUFFRAGIA TERRENA COMMENDANT
 INOPSQUE VIRTUTIS SUE CHRISTUS DUM
 AMBITIO NOMINI SUO CONCILIATUR, ARGUI-
 TUR. Terrèt exiliis & carceribus Ecclesia, credique
 sibi cogit, quæ exiliis & carceribus credita est! Pen-
 det ad dignationem communicantium quæ perse-
 quentium est consecrata terrore. Fugat Sacerdotes
 quæ fugatis sacerdotibus est probata diligi; Gloria-
 tur à Mundo quæ CHRISTI esse non potuit, nisi
 eam mundus odisset. Abeant ex coetu veterum Chri-
 stianorum etiam illi, qui neq; manus ad coelos cum
 Mose levant, nec cum Daniele genua flectunt, nec
 cum publicano pectus tundunt.

Veteres pro Paganismo addictis imperatoribus
 Romanis preces fuderunt calidissimas isti pro Chri-
 stianis Cæsaribus vel frigidas fundere detrectant: vi-
 tæ quietem in omni iusticiâ nq̄ servatâ transigen-
 dam impediētes, Veteres pro Hæreticis orabant; Hî
 pro

pro fidei veræ interitu à pr. cibis abstinere. Audiant Chrysoftomum ocellum Ecclesiarum orientalis
 lium *εἰ ὑπὲρ ἑλλήνων ἔυχεται χρεῖς, καὶ ὑπὲρ αἰρετικῶν, δηλονότι. ὑπὲρ
 οὗδ' ἀπὸ πάντων ἀνθρώπων ἔυχεται δεῖ, εἴ δὲ δὴ αὐτοῦ.*

Privilegiis & magnitatibus veterum Chri-
 stianorum etiam illi non sanctè fruuntur, qui Divo
 Clare vallensi præeunte, Ecclesiam amarata priu-
 nece Martyrum, amariorum post in conflictu hæ-
 reticorum, amarissimam in moribus domestico-
 rum, efficiunt: Honorati incedunt de bonis Domi-
 ni & Honorem Domino non referunt, indè meretri-
 ceus nitor, Histrionicus habitus, Regius apparatus:
 Indè aurum in frænis, in sellis, in calcaribus, & plus
 calcaria, quam altaria fulgent: Indè splendida men-
 sa & cibus & scyphis: Indè commestationes & E-
 brietates. Indè cythara & Lyra & tibia, inde redun-
 dantia torcularia & promptuaria plena ex hoc in
 illud: Indolia pigmentaria, indè referta marsupia:
 Plus invigilant subditorum evacuandis marsupiis
 quam extirpandis vitiis, non honorant sponsam quæ
 pauper, inops & nuda relinquitur, facie miseranda
 inculta, hispida, exsanguis, sed spoliant; non custodi-
 diunt, sed perdunt; non defendunt, sed exponunt;
 non instituunt, sed prostituunt, non pascunt gregem
 sed mactant, & devorant. Quos etiam S. Basilus in
 Epistolis censoria virgula notat **C R U X C H R I S T I**
 præceptoris nostri *εἰς ἕνα τὸν γῆς, ἀλλὰ καὶ εἰς τὸν οὐρανοῦ
 καὶ ἀγγέλων, non solum terræ sed etiam cœli fulcrum
 & fulgor, cur illam γῆσαι præceptoris discipuli decli-
 nemus adulatione & fugiamus amore vitæ?*

B 1.

Cru

*Crux est Militia signum venerabile nostra,
Ergo hujus comites nos crucis esse decet.*

Nunc, Nunc attollendum est capita ad tertiū ad-
ventum **CHRISTI** qui non mansuetus est ut pri-
mus atque secundus, sed terribilis atque ut S. Isido-
rus loqui amat *πρὸς τὴν τριτὴν καὶ περὶ ἐγγυμῶν ἐπιείκων* & sic
Chrysoftomo teste: non ut dimittat; sed ut judicet.
Hic antecedentes maximas in toto mundo, Augu-
stissimo Naturæ capitolio, & cœlo tecto ejus pretio-
sissimo, sole nitidissimo illius speculo, & Lunâ stel-
lisque clarissimisque illius facibus, & aëre subtilissi-
mo illius velamine & terra opulentissimo illius the-
rio tropheo, & mari capacissimo illius Amphithea-
tro; Erit angustia Gentium, incolarum præ timore
exanimatio, œconomia perdetur peste, fame, Poli-
tia, bello & discordiis Ecclesiæ hæresibus infestabi-
tur, persecutiones audiētur, falsi Christi revelabūtur.

In hoc erit **JUDEX CHRISTUS** ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, fi-
lius **DEI** in assumpta natura, qua vincula, sarcasmos
sputa, flagella, spinas, clavos, lanceam, lignum, fellis
potum, mortem perpeffus ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, in gloria sa-
pientiæ & potentiae qua abscondita in tenebris illu-
minabit, & manifestabit confilia cordium καὶ πάντες
οἱ ἄγιοι ἄγγελοι μετ' αὐτοῦ. Hierunt ejus satellites atque à
latere venientem stipabunt. Καθίσει ἐπὶ δεξιῆς δόξης αὐτοῦ
sedebit ad dextram Patris in throno omnipotentiae.
καὶ συναχθήσεται ἐμπροσθεν αὐτοῦ πάντες τὰ ἔθνη. Hæc erit jurif-
dictio: quæ in vivos & mortuos omnes partes mundi
universas Nationes & singulos populos protēditur.
Processus ejus quem in judicio usurpabit hic erit.

I, 51 see

I. γήσει τὰ μὲν εὐβάτεια ἐκ δεξιῶν αὐτῆ, τὰ δὲ εἰρήφια ἐξ ἐναντύμου,
 statuet oves à dextris capros à sinistris. Bonis in qui-
 bus passus est, quod ipsi perpessi sunt, famem, sitim,
 carcerem, nuditatem, morbos, exilia; præmia vitæ
 æternæ retribuet. Malis autem pœnas & tormenta
 malitiæ. II. Piis acclamabit contra severitatem judi-
 cii: Venite *εὐλογημένοι* per fidem ad Christum SEMEN
 BENEDICTUM. Ex maledictione ad benedictionem,
 ex ira ad gratiam. *Κληρονομήσατε* Mæritate tanquam
 filii adoptionis, in spiritu sancto, non Meritis τὴν ἡτοι-
 μασμένην ὑμῖν βασιλείαν ~~preparatam~~ vobis, non à vobis
 paratam, vitam æternam, beatitudinem sempiter-
 nam omnium bonorum sufficientiam, sine omni in-
 digentia. III. Minabitur impiis, hypocritis, maledi-
 ctis Diabolo per infidelitatem adherentibus, illosq;
 convictos ex operibus illorum superbia, invidia,
 fraudulentia, gula, ebrietate, luxuria, cæde, crudeli-
 tate, præda, rapinis, avaritia, fornicatione, menda-
 cio, blasphemia, maleficio, detractione, invidia, di-
 scordia, pœnis æternis afficiet, & in infernum præ-
 cipites projiciet *εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, τὸ ἡτοιμασμένον τῷ Δια-
 βόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτῆ*. In illo enim ignis ardens non
 lucens, fumo, fletum oculorum eliciens; & frigus
 glaciale, dentium stridorem faciens. Serpentes &
 Dracones sibilo & aspectu horribiles. Fætor intole-
 rabilis, flagra incessabilia, Tenebræ palpabiles, con-
 fusio peccatorum inevitabilis. Visio Dæmonū igne
 scintillantium, & clamor ineffabilis flentium & in-
 sultantium, ignea vincula quibus singula illorum
 membra constringentur. Videbunt autem Justi in

peccata ut magis gaudeant: quod hanc evaserunt; Ma-
 li etiam ante iudicium videbunt Bonos in gloria, ut
 magis doleant, quod hanc neglexerunt: Post iudi-
 cium verò Boni conspicient semper malos in poenis,
 tamquam illi quibus iudicia DEI oblectamento sunt,
 nec illis condolebunt tanquam uniti DEO! mali e-
 nim nunquam amplius aspicient Bonos, quorum
 corpora pulchritudine gloriosa, velocitate gratiosa,
 Fortitudine decora, libertate dulci, voluptate suavi,
 sanitate constanti, immortalitate, flore bunt. Ani-
 mæ divina sapienciâ, beata, amicitia inestimabili
 concordia, sublimi potestate, celso honore, magna
 securitate, inenarrabili gaudio valebunt Ad hanc er-
 gò vitæ æternæ hilaritatem, quam nec oculus usur-
 pavit, nec auris hausit, in quam nec ulla ex hominum
 genere cogitatio se penetravit nos maturè & seriò
 præparemus, vigilando & orando, abstinemus à
 crapula, ebrietate & *μεσημερίῃς βιωτικαῖς*, id est, I. quæ ra-
 dix omnium malorum Avarità, memores, tempus
 iudicii extremi ratione anni, diei, horæ incognitum
 animis & ignotum esse cordibus nostris, improvisis
 subitò & derepentè ad futurum, & quales tùm inve-
 niemur; Tales iudicatum iri. II. Ad quam præpara-
 tionem meritò nos signa, quæ nostro seculo in so-
 le, lunâ, ventis & aquis sonantibus, pestilente con-
 tagiosa, fame intolerabili, bellis continuis frequen-
 tes experimur, movere deberent. III. Ut & oracula,
 quæ in veteri instrumento, de hujus diei Majestate à
 prophetis dictante Spiritu Sancto nobis in admoni-
 tionem prolata sunt. Inter quos Familiam ducit hic
 præ-

præfens MALACHIAS, quem strenam solennem hu-
 jus anni TIBI GIRSNERE Amplissime consultissi-
 me annorum gravitate senili, rerum gerendarum
 dexteritate colendissime, meritò dicare propriam
 volui. Huc accedit quod dissertatio in eo ipsius DE I
 ad justos contineatur, qui conquerebantur melius a-
 gi cum peccatoribus: & pollicitatio bonorum, quæ
 justis; malorum verò quæ improbis in futuro seculo
 eventura essent ob adventum Christi *ωὄς ἐνανθρώπησιν*
 despectum & planè neglectum. Quæ querela etiam
 nostro seculo vexari sæpius cæpit quod DEUM im-
 probis delectari illorum successus augere verò falsò
 arbitratur. DEUS in unitate Trinus, in Trinitate unus,
 CHRISTUS JESUS DEI & MARIE Filius ductor
 fidelis morientium, servator damnatorum, Lumen
 cæcorum, Gloria contemptorum, positus in *πλάσιν*
πολλῶν ruinam saultorum in Israel permissivè non ef-
 fectivè ob nativitatem ignobilem, & Pharisaicam cæ-
 citatem atq; audaciam; & gentibus *εἰς σημεῖον* porten-
 tum *τὸ ἀπίστευτον*, cui contradicetur. Ob doctrinam
 à ratione humana & philosophia abhorrentem at-
 que *εἰς ἀνάστασιν* ex lapsu Adami ad vitam æternam:
 Spiritus sanctus, qui nos conjungit Christo jure Re-
 demtionis & assertione in libertatem, atque consti-
 tutionem cohereditatis Te Senem Bono publico na-
 tum Matronã tuam, columnam familiæ, Filios famæ
 paternæ æmulos, filias castitatis Maternæ imitatri-
 ces tueatur, protegat, conservet, & hunc annum
 TIBI, TUÆ, TUISQUE omnibus, animo gratum, cor-

pori salubrem, Fortunis commodum, votis omnium
piorum felicem, Fato beneficium, evenire jubeat!

Πρὸς τὸν ἀντιπρόσωπον

Conditio tua sit stabilis! tum, tempore longo
Vivere Te faciat heic Deus omnipotens!

*Dabam III. KAL. JAN. in Museo meo, Anno
MDC. XXVI. Mense Decembri, quo apud Roma-
nos olim Septimontia celebrata in Palatio, Suburrâ,
Velîâ, Fagutals, Caelio, Oppio,
Cestia.*

Ad Clarissimum Virum

**D. JOHANNEM CHUNRADUM RU-
MELIUM, MEDICUM NEA-
GORÆUM.**

Cur sancto sanctos convertis carmine Vates?
JAN-CUNRAD, Chori cultor Apollinei!
Ipsi cum fuerint perversi Fabula mundi,
Proque labore nihil quam flagra sustulerint?
Scilicet illorum stas versu testis amicus
Quod fuerint summi sanctiloquique viri.
Ipsis & quod sit merces infanda relata
Et furiis Populi, & Dæmonis insidiis.
Cum fuerint summo vel quovis munere digni,
Et fuerint digni, Nomine perpetuo.
Perge DEI servis posthac quoque Testis adesse!
Carmina perge sacros, concelebrare viros!
Infinita manet te merces munere Christi,
Gloria summa solo, visa beata bolo!

*Melchior Fabricius Ecclesia Nörd-
lingana Minister.*

IN

IN DODECAD. FATIDIC.

*Johannis Chunradi Rhumelii Philosophi &
Medici Praestantissimi &c.*

Vatum precor, quis agmina
Referre nostra tempora
Quibus scatent, vel munere
Vocis, vel ullo carmine.

Assumet? aut multiplicem
Pronunciabit copiam
Quâ præla sudant impigra,
Opplentur & volumina?

Nemo quidem: nec interim
Vel unus horum est omnium
Qui pro suis laboribus
Dignus carere laudibus.

Sunt quos tamen præ ceteris
Coronat alma Pieris
Gravisque Suada diligit
Manu Phronesis dirigit;

Quæ est Stylus severior
Doctrina nec non verior
Virtutis almæ semitas

Quæ monstrat, atque Numinis.
Hos inter & Rhumelius
Phœbi peritus artibus,
Pollens celebri carmine
Non impos est adorcæ.

Non hic ineptis versibus
Vel polluit venæ decus,

B 5

Nugis

26
Nugis vel ullis utitur
Quas vana plebs amplectitur.

Exempla verum cæteris
Præbet sacris è literis
Decerpta, dum salubria
Vatum refert oracula.

Mortale quorum sit memor
Semper genus, quo gnaviter
Dum concupit terrestria
Non negligat cœlestia,

Hinc iure dicetur pius
Hinc laude quam dignissimus
Hinc secla per longissima
Post ipsa vivet funera.

*Elisabetha Joanna Leonis ex Fa-
milia Vestoniorum, Angla.*



MALE-



MALEACI

CAPIT. I.

ARGUMENTUM.

Ebrium avaritiâ peccus contemnit honores
Sacros, plus potæ plus sitiuntur aquæ.

- v. 1. **I**stæc Malachie vatis dictante JHOVA
Concio, ad Isacidas, verborum asperrima sensu:
- v. 2. Vos ego dilexi: magno DEUS intonat ore,
Præ populis aliis, per terræ frugiferentis
Mœnia qui degunt passim, & vitalibus auris
Vescuntur: sed vos, me dedignamini amore
Vestro, dicentes; Ecquod Tu pignus amoris
Nobile deponis nobis? sic ergo resolvit (DEORUM
Hæc in verba animum REX JOVA hominum atque
An non unius clausi compagibus alvi
(Par fratrum) gemini, Esavus mitiq; Jacobus
Sum tamen unum ardenti amplexus amore Jacobum
A quo vos generis vestri cunabula prima
Ducitis, Augusta & numeratis nomina gentis
- v. 3. Contra odio stabili Esavum averfatus, ego odâ
Fœte hærebat ad huc tumidâ cum matris in alvo
Et posui montes Seir, in loca sola virentes
Atque omnem florem regionis vindice ferro
Vastavi; ac ubi erant opulenta palatia quondam.

Horris

Horribiles ibi nunc immani fauce Dracones
 Urbibus excisis stabulantur, & ore trifulco
 Attra venena vomunt, sinuosisq; orbibus errant.

v.4. Quod si vastata fors dixerit hospes Idumes:
 Nostra quidem regio priscis viduata, Colonis
 Et posita aqua solo, dumosis, debita, in arvis
 Nunc nulla antiquae ostentat vestigia forma:
 Sed freti nostris animis manuumque labore.
 Omnia ad antiquum revocabimus ordine, florem,
 Et posita aqua solo educemus mœnia cœlo
 Amula, & eversas arces fulgentibus astris
 Turrigero semper minitantes culmine rursus
 Condemus: tamen haud animum res ipsa sequetur
 Eventu facili: Armipotens ait arbiter Orbis
 Illis una quidem recta edificare voluptas:
 Mens fundamentis eadem mi evellere ab imis:
 Immittamq; novas clades, quis ipsa ruinam
 Restaurata trahant, ingentem, & summa sequatur.

v.5. Rerum perdita ad hanc & qui respexerit ore
 „ Protinus apperto dicet: Regio ista IHHOVM
 „ Imperio cecidit penitus subversa potente
 „ Propter Cœlislui temerata Piacula cultus
 „ Aeternis etiam huic populum DEUS arguit Iru
 „ Fustitiam illius totus cognoscat ut orbis
 Vos quoque spectatum ad missi dicetis JOVA
 „ Vivat! JOVA DEUS vivat! quo vindice nostros
 „ Armorum circa adjutum superavimus hostes
 „ Ac agros colimus presenti numine nostros.
 „ Pace altâ positi & leti felicibus arvis
 „ Arboreo fœtu, pingui farre atque Lyco

- v. 6. Ipse suum merito genitorem mactat honore
 Filius, & Dominum justâ ratione veretur
 Officii servus: si ego sum vester pater, ergo
 Dicite ubi meus est honor (hactenus ipse paternum
 In vos saepe animum docui, ut meminisse potestis)
 Et si ego sum Dominus vester, ceu dicitis ore
 Pleno, ubi nam timor ille meus quo me metuisse
 Vos debebatis, cultu innocuoque vereri
 Armipotens dicit cui militat orbis & aether?
 Vosquè sacerdotes, adeo despectui habetis
 Me nomenq; meum, ut Majestati infima nostra
 Gratia supplicibus nunquam respondeat aris
 Si vos nunc accusandi male decoquat ardor
 Et tumida lingua queratis, dic age sodes
 In quo te nomenq; tuum despeximus? Ecquo
 Majestatis nam cultum detrivimus alium?
- v. 7. In faciem dicam vobis! altaria sacra
 Polluto conspurcatis libamina semper.
 Sat scio dicetis, quæ nam libamina spurca
 Offerimus? dicam! Erumpat vox libera ab ore
 Nostro quod tacitis reputatis cordibus aram
- v. 8. Nontanti esse sacram momenti ut inutilis ante hanc
 Victima, non possit prosterni legibus ipsis
 Coelivni cultus salvis. Cui lumen ademptum.
 Ante aras nostras statuatur si quisq; juvencum
 At non ex animi vestri censu utilis aris?
 Et si quis claudam jugulet pede utroq; bidentem
 In flammis sacras, mancisq; altaria donis
 Sancta oneret, nonne ad gustum isthæc omnia vestrû?
 Turpe pecus mutilum, quod vel fastidiat Hospes

Quis

Qui domi alat, vel qui vendat, vel maestet ad usus
 Privos, quod donatum homini quoque sordeat ipsi
 De grege vulgi ignobilis, anne ego maximum habebō
 Munus honoris? age atq; Duci Tua munera liba
 Quadrupedum brevium gemino pede, lumine utroq;
 Lesorum, & vide num vultu isthæc ille sereno
 Accipiat gratæ, inq; suis Te gestet ocellis
 Armipotens insit cui totus militat orbis.

v. 9. Nunc opus est precibus, opus est nunc pectore pleno
 Supplicibus votis ad pulviaria sacra
 Tendite nunc geminas palmas summumq; JEHOVAM
 Exorate humiles, intentæ examina pœne
 A vobis abigat, lethi ne omnes genere uno
 Dispereatis! vos etenim, quia vera fatendum est,
 Peccatis vestris pœnarum pondera vobis
 In caput attraxitis: Tandem resipiscite! tandem
 Et sperate DEUM mentis memorem esse paternæ
 Armipotens ait, in sua qui trahit agmina stellas.

v. 10. Ecquis Zelus inest vobis cultusq; cupido,
 Et que Divini in vobis ardet male sano
 More Sacerdotes? nemo vestrum ostia templi
 Gratis clauderet, aut gratis aperiret? & ignes
 Puros, ante sacras gratis incenderet aras.
 Odi vos igitur nec munera lumine amico
 Respicio vestra, & libamina abominor omnia
 Armipotens insit cui totus subjacet orbis.

v. 11. Quantum lucivehus protendit lumina Titan
 Vel cum in vectus equis altum petit æthera, vel cum
 Precipitem Oceani rubro lavit aquore currum:
 Tantum Majestas spatiosum extensa per orbem

Nomi-

55 Nominis in nostri, gentes fundetur in omnes
 56 Meq̄, REDEMPTOREM partē Autoremq̄, salutis
 57 Agnoscent populi, & quavis mundi in Regione
 58 Laudibus aternis mihi sacrificabitur uni
 59 Et pura ante focos statuetur victima sacros.
 60 Namq̄, meum Nomen semper laudesq̄, manebunt
 Altisonans dicit, cui rotus militat orbis

v. 12. Sed vos pollicitis sanctum & venerabile nomen
 Atque altare meum non tam mundum esse putatis
 Ut sit opus super hoc tractis holocausta crenare
 Extis, integra, nullius precuq̄, sacratos
 Apposito vili nutrimine pascitis ignes
 Idcirco Populus non nostrum numen adorat
 Aut ullum supplex aris imponit honorem.
 Et quando offertis pecudum mihi languida secla,
 Vos tanto sceleri velum protenditis, atq̄
 Dicitis: hoc quadrupes longa ex errore vias
 Ecce fatigatum est longo, nec claudicat hilum
 Nec peccatorum reputatis in ordine, ritus
 Quando prophanatis sic nostros ade sacrata,
 Ac exsufflatis culpam omnem spiritu in uno
 Intonat armipotens celsi Dominator Olympi
 Si quid iustitiam contra eripuistis opum, ut
 Ex illo offertis mihi partem, meq̄, putatis
 Inde probaturum imposturas atq̄, rapinas
 Vestras, atque manu scelerata furta patrata
 Offertisq̄, otiam pede lesa & languida ad aras
 Sacratas pecora, & libatis munera manca:
 Nunquid ego leto tam munus inutile, vultu
 Suscipiam ex manibus vestris? an arbiter orbis

v. 14.

▼. 14. *Mi sacer omnis homo miq̄, intestabilis esto*¹⁶
*Cui mens plena dolis osq̄, omni fraude refertum*¹⁶
Qui nivei pecoris dives qui lactis abundans
Floriferis pascit sanos in montibus agnos
Illius ex septis tamen exit victima clauda,
Quando DEO solvens votum, mancam immolat aras
Ante sacras lesam totos artusq̄, bidentem
Discite Cœlisuum moniti non temnere cultum
 REX ego sum magnis: sum REX hominū atq̄, DEO-
Atq̄, super Gentes Majestas nominis omnes (RUM
Horribilis nostri, magno DEUS intonat ore
Armipotens totum trahit in sua qui agmina mundū.

CAPUT. II.

ARGUMENTUM.

Ore sacerdotes duro DEUS increpat, atque
 Intentat poenas, increpat & Populum

▼. 1. **E**cce sacerdotes animi ad vos nuncia mitto
 Verba mei, vobis mandata capeffere fas est!

▼. 2. Si forte his durā cervice negabuis aures,
 Nunquamque ad cordis revocabitis intima vestri
 Ut crescat nostri, Majestas nominis alma
 Armipotens inflammatus pleno intonat ore.
 Omnium egestatem in vos rerum immittere mens est
 Et subito eripiam proventus uberis agri,
 Ante quibus vos ditavi, infeliciter atque
 Omnia succedent vobis, quia dicta negastis
 Obstructis animis duras dimittere in aures

▼. 3. Ecce ego vos diris poenis vestrosque nepotes
 Exercebo potens, & turpi vultu madore

perfun-

Perfundam vestra, atq; fimo quem luce bidentum
 Ex intestinis, festâ purgastis, in ora
 Conjiciam vestra, & vos reddam pectora propter
 Fervida avaritiâ, viles, tunc sorte Magistrâ

v.4. Infelici vel discetis: † Me penes esse
 Imperium atq; initi leges praescribere pacti
 Quod quondam pepigi cum toto semine Levi
 Armipotens dicit cui totus militat orbis.

v.5. Cum priscis mihi flaminibus sancita fuere
 Foedera, quâ vitæ quâ pacis ille ego, quondam
 Phineo Incussi qui puri dona timoris
 Quis solido ille pius timuit de pectore semper
 Nominis eternam Majestatem atq; tremendam

v.6. Semper in ore ejus fuit unica REGULA veri
 Et LEX justitiæ geminis, descripta tabellis
 Per juri nullus potuit deprendere in illo
 Signa animi, aut linguae fallacia verba dolosa
 Nec leges pretio fixit nummi atq; refixit:
 In pacis semper pressit vestigia calle
 Tuta salutifera, simul equi in tramite puro
 Perstitit; & cœtum quoque vivâ voce piorum
 Avertit castris ab iniqua & crimine turba

v.7. Una sacerdotum quippe est ea cura piorum
 „ Nosse DEUM TRINUM personis numine & unum
 „ Nosse voluntatem divinam, aliosq; docere:
 „ Justitiam legis divinae & pandere ab ore
 „ Atq; Evangelii; plebis sed discere id unum
 Officium est summi verba incorrupta JEHOVÆ
 „ Ex illis, sacris qui operantur: Namq; sacerdos
 „ Est legatus Heri vasto omnipotentis in orbe.

C

v.8.

- ¶. 8. Sed vos sacrifici contra de calle recestis
 Aetheriae legis, tum religionis honorem
 Ore profanastis vesano, magnam hominumq;
 Partem offendistis, de verâ ut religione
 Ipsi contemptim sentirent & loquerentur.
 Atq; meam legem facerent non unius assis.
 Quin etiam mea fecistis pacta irrita, pacta
 Que pepigi quondam cum toto semine LEVI
 Neglectoq; meo cultu egistis res vestras.
 Armipotens dicit quem mater magna veretur.
- ¶. 9. Propterea abjeci vos, & passim omnibus orbis
 Exposui populis in risum, humilesq; sine ullo
 Illustris famæ radio statui, quia leges
 Quas de sacrorum ritu bonus arbiter olim
 Tum de aliis rebus promulgavi, temerastis
 Nec sensum legis sententia quando ferenda
 Ultima erat, dubiis in rebus respexistis
 Iudicio oblata anteferentes munera justo.
- ¶. 10. Nunquid non nostrum DEUS est unus Pater omnium?
 Nunquid non nosmet DEUS omnes condidit unus?
 Quare quisque suum est in fratrem injurius ergo?
 Innummerisq; dolis fraudum & circumvenit alis?
 Hoc ipso nostrum faciens pacta irrita patrum?
- ¶. 11. Progenies Judæ scelus intollerabile visu
 Patravit, Solyma novus Israelq; colonus
 Artificem sceleris Judam istâ in parte secutus
 Dilectam Domino nam Judas polluit adem
 In quâ exerceri debebant cœli potenti
 Puro animo cultus, ex lege & debiti honores:
 Ac junxit sibi connubio, simulacra DEORUM

Qua

Que uxores colerent vana; heic cum semine sancto
Impura miscens contagia gentica Plebis.

Disperdet Dominus cunctorum secla virorum.

Patrati esse reos sceleris quos propria morsu

Cura animi evincit tacito, culpamq; fateri.

Ipsa verecundo cogit mens percita vultu

¶ 12. Disperdet Dominus discentes atq; docentes

Permolere uxores alienæ religionis

Isacidas, sacri complereq; pondere fetus

Gentiles uteros, miscereq; semine semen

Inq; sacerdotes gravibus DEUS invehet iris

Exercere DEI qui puro pectore cultum

Debebant, tamen ad suctis densa oscula labris

Humectarunt & corpus cum corpore, amoris.

Gaudia querentes communia, conjunxerunt

Heu Idololatra, cujus mens Ebria falso

Cultu, fictilium vanoq; timore DEORUM

¶ 13. Sunt alia scelerum facies, quæ sepe patraſtis

Cum ad sacra pervenium fuit & mos ipse poposcit

Uxores vestras cum prole adducere vestra

Finitiq; agitare sacris convivia leta

Erga Israëlitas tales vos exhibuistis

Uxores, facili ut poterant deprendere signo

Vos plus gentili formâ mulierculam amare:

Cum letari igitur sacra ante alteria nostra

Debebant, densolacrymarum illa amne rigarunt

Implevere sacram magnisq; ululatibus eadem.

¶ Atqui ego luctifico fieri mihi pectore sacra

¶ Nolo, & vi legis rejeci voce diserta:

Sacrificos igitur vestros quoq; reproborunt.

¶. 14. Queritis ob quasnam causas ego abominer ipsa
 Munera, quæ sacras mihi vos libatis ad aras?
 Dicam equidem ratio nec vana est, ipse JHOVA
 Testis erat, cum tu uxorem juvenilibus annis
 Connubio stabili acciperes propriamq; dicâros,
 Atque illi pacem aternam monumenta fideiq;
 Mansure aeternum sponderes publica; vitæ
 Tu verò Sociam JOVA quam pronubus olim
 Connubio stabili junxit, propriamq; dicavit
 Duriter heu tractas! veterum perasus amorum.
 Atque aliam super inducti, quæ vana veretur
 Ex animo simulacra DEUM, cujus tibi forma
 Et mores magis ac primæ, quam flore juventa
 Uxorem duxti, sincero ex corde probantur
 Hanc levitatem animi DEUS avertatur & odit.
 Abrami prætexetis nec Nomine culpam
 Quando peregrinos jam sic meditamini amores,
 Non ille impuri furis agitated amoris
 Querebat Venerem lascivæ ignesq; juventa,
 Sed promissum olim divino semen ab ore
 Cum sterilis fuerat SARA uxor longo hymenæo
 Hinc nactus famulam, gravidam illam semine large
 Reddidit, ut posset partu ditescere dulci
 Pluribus & natis grandem, munire senectam
 „ Multivaga impuros animos Venus arguit, atq;
 ¶. 15. Frustrâ exempla iuvant vos Abrami genitoris
 A quo vos generis seriem deducitis uno.
 Eheu nunc abolete novæ vestigia flammæ!
 Illaq; quæ primum vobis, se junxit, amores

Aufse-

Auferat, illa habeat secum seruetq̄, sepulchro:

Esto Te primam non flectere posse maritam

Et Te pertesum thalamo tadeq̄, prioris

Esse, age divortium quam primum scribe libellum

Et dimitte illam Isacidum Dominus DEUS inquit

V. 16. Te tamen hoc meminisse velim, ut si abjeceris illam

Feceris id quâdam vi, virginitatis honorem.

Cui prima eriperes, viduam post adibus ipsis

Ejicere heu turpe est; ideo cum victu & amictu

Est opus ex opibus partis huic cedere partem,

Venari ut possit fato levioere maritum.

Rursum & vinclo sese iterum sociare jugali

Ac dulces natos Veneris quoq̄, præmia nosse

Custodite igitur sinceram pectoris auram

Nec tumidi uxores vestras vexate, laborum

. Et vitæ socias jussit quas esse JEHOVA.

V. 17. Sapius in Dominum blasphemâ voce locuti

Estis, mendaci plena atq̄, injuria verba

Et dixtis quisnam verbis offendimus illum?

Eia recensebo presentem advortite mentem!

» In more est positum vobis sic dicere, semper

» Nil cunctarum aliud rerum experientia Mater

» Communis docet, ex hominum successibus ipsis

» Quam quod amet DEUS injustos, omnesq̄, favore

» Excipiat grato, qui facta operantur iniqua

» Hos etenim penes arbitrium est ac norma regundi

» Subjectos, pleno tum divite copia Cornu

» Sin mens longè alia est rectori hominû atq̄, DEORUM

» Cur non judici justî formam omnibus edens

- 2) Ipse bonos reddit felices atq; beatos.
- 3) Contra infelices Epicuri de grege porcos
- 2) Efficit, inferis stygiis ac immolat umbris

CAPUT. III.

ARGUMENTUM.

Nunciat adventum Christi præcursor, & ipsis
Est culpis venia, & Gens pia & Impia erit.

- V. 1. **E**cce ego selectū ex hominū cuncto ordine, mitto
Legatum, auspiciis melioribus, ille viā
Prævius anfractus dubios, aliasq; cavernas
Planitiæ equali sternet, tum tramite recto.
Signabit: pede quem mox præproperante sequetur
- 2) Ad templum, Omnipotens terra Dominator & aethra
 - 2) Quem desiderio magno expectaris, & ipse
 - 2) Quem vultis, veniet testamenti Angelus almi
 - 2) Armipotens dicit cui totus militat orbis
- V. 2. Et quis erit facili qui possit mente diem ipsum
Illius adventus summum ferre, Ecquis in ipsum
Aquo oculo possit doctorem ruc tueri?
Ignis enim instar erit, flammā qui cuncta voraci
Ex est, ac perimit, fulgorum herbaq; tenacis
Quā mundaant pannos, niveo & Candore serenare.
- V. 3. Et velut Aurificis vasta fornace liquecunt
- 2) Fulva metalla manū, ac auri argentiq; potestas
 - 2) Discreta in massas tenues, fluit undiq; rivis
 - 2) Quæ concreta fuit visa, & splendēre colore.
 - 2) Uno; Sic omnes prognatos semine LEVI,
 - 2) Purgabit, puros leviq; lepōre cremabit

„ Ipse DEUS, Domino & libabunt debitum honorem:

v. 4. Iustitia ritus sacrosq; JEHOVA probabit
In Juda & Solymis, erit in precioq; receptus
Cultus & atatis florebit more prioris
Sic volvenda atas commutat tempora rerum.

v. 5. Ecce ego nunc ad vos accedam, ait arbiter orbis
Judicis officio fungens & crimina vestra
In lucem patrata trahans, magicae artis amores,
Turpia adulteria, & falsa periuria lingua
Veridicus testis cui verbo Nemo repugnet

„ Vel minimo: & qui defraudant mercede labores

„ Servorum, & viduas emungunt aere, misellos

„ Pupillosq; premunt, peregrinos Hospitioq;

„ Excludunt, nec me metuunt, ultricibus iris

„ Arguam & ad nostrum statuam sublime tribunal

Armipotens ait in sua qui trahit agmina mundum

v. 6. Namq; ego sum omnipotens & servantissimus equi

Et vivo aeternum, nullo mutabilis aeo.

Vos mala progenies contra probitate JACOBI

Magna conspicui, scelerum commercia semper

Tractatus, vestris nec finem imponitis ausis

v. 7. Ast alienum nil à consuetudine vestra

Vos facitis, namq; innumeri jam mensibus orbis

Annorum expletis volvuntur, quis male sana

Mente recessistis praescripto à limite legum

Iuraq; temsistis Sanctissima corde profano,

Eia agite atq; ad me vestras convertite mentes

Et vitam in melius tandem migrate priorem

Non nisi flagitiis auctam, & petulantibus ausis.

Et veram facile, ad vos equi lumina vultus
 Armipotens dicit, quem totus mundus adorat.
 Dicitis in quonam nostras convertere mentes
 V. 8. Fas erit \dagger effabor, licet anne homo ut ipse JEHOVÆ
 Sit fraudi? Vos, vos estis qui fraudibus ipsis
 Me impetitis! dubium rursus inquiritis, ecquo
 Te defraudamus? dicam quando mihi avaræ
 Primitias frugum justas decimasq; negatis
 V. 9. Idcirco vobis proventum subtrabo frugum
 „ Quarumvis, seges agra jacet, flet vinea tristis
 „ Gens etenim in fraudes inclinat vestra JEHOVÆ
 V. 10. Eia agite atq; omneis decimas mea in horrea sponte
 Inferte! ut dives rerum adsit copia earum
 Quis opus ad ritus sacrorum, atq; usus, alendos
 LEVITAS, atque eventum documenta futuri
 Hunc capite, Armipotens insit cui militat ether
 Sim falsus nisi cœlorum largè ostia pandam
 „ Omnigenum frugumq; in vosmet decidat imber
 „ Fœcundus, nobis ut vasa atq; horrea desint.
 „ Efficiam lætas segetes, ac arva tuebor
 „ Per vigili studio lætis ne frugibus ulla
 „ Officiat pestis virides nec deserat herbas
 „ Humor cœlestis, foetus hortisq; tenellos
 V. 11. Ne tennes pluvia rapidivè potentia Solis
 „ Acris, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.
 „ Efficiam vineta uvæ felicia densis.
 „ Pampineo & florebit ager gravidus autumno
 „ Spumabit plenis etiam vindemia labris
 „ Armipotens dicit, totum qui condidit orbem
 V. 12. Et gentes terræ vos terq; quaterq; beatos

Dicent,

Dicent, quis facilem victum justissima tellus
 Fundat, & athereâ ubertatem depluat arce
 Ipse DEUS magni monumentem & pignus amoris
 Armipotens dicit qui terram gramine vestit,
 Me duro vos arguitis sæpè acriter ore.

v. 13. Intonat omnipotens, si forte reponitis, in 10

v. 14. *Quenam diximus? † Exponam dixistis inane*

„ *Et vanum esse, animo puro inservire JHOVÆ*

„ *Lucrificabile ne cuiquam esse accedere ad aras*

„ *Et pro cumbere humi prostratum & pandere palmas*

„ *Ante DEI faciem atq; altaria sacra cruore*

„ *Spargere quadrupedum voris & nectere vota*

„ *Vestitu indutum pullo macieq; supremâ*

Confectum & duris conferto tegmine spinis

v. 15. *Sed contemptores divina religionis*

Divitiis rerum summis & honoribus actos

Florere, ut pravus magè sit quisq; impius ausis

Sic magè sit felix; & quò conspectus ipsum

Sic crimen, tanto subeat felicis omen

Nec JOVAM hos ultore animo emendare superbos

Illorum aut sceleri pressas imponere habenas.

v. 16. *Sed quos sustentat pietas hæc verba loquuntur*

„ *Inter se, agentes, Dominus perlustrat JOVA*

„ *Sollicitis oculis & dicta & singula facta*

„ *Infastosq; refert digitis signata sacratis.*

„ *Ipsa piorum opera, & quos sacri nominis ardor*

„ *Continuè inflammat, qui puroq; ore recusant*

„ *Insane rationis inire elementa, viamq;*

„ *Endogredi sceleris; æterna ut munere vitæ*

„ *Immortali ævo summâ cum pace fruantur.*

Et quando ingruerit subito seges ipsa malorum
Publica, qua obtundam graviter scelerata virorum

v. 17. Secula† Bellipotens dicit Deus; Ecce pecull

„ Faxo pios instar, parcamq; in cladibus illis

„ Ceu Natis parcat dilectis ira parentum

„ Illorum vita, & stabili complectar amore.

v. 18. Tunc vos mutatâ fortunâ vela prioris

Propositi, rursus mutabitis impia, docti

Inter quod justum nam sit discernere & inter

Injustum; atq; odium JOVE inter, & inter amorem!

CAPUT. IV.

ARGUMENTUM.

Pœna malos, divina probos sed gloria tangit

HELIAS veniet Judicii que dies.

v. 1. **S**umma dies veniet & ineluctabile tempus

„ Quod magnos aestus & magna incendia voluet

„ Instar Candentis furni qui faucibus ignes

„ Expirat patulis & erunt irreligiosi

„ Ac scelerum artifices, vani fraudumq; magistri

„ Instar demessi culmi, stipuleq; volantis

„ Quam divina ire presens crepitantibus uret

„ Lux flammis: ait Armipotens cui militat æther

Nec patietur eis succiso robore trunci

Ullam radicem, nec frondes Germinis ullas

v. 2. Sed vobis verum quis nostri magna timorem

„ Nominis instillat Majestas, exorietur

„ Justitia vera sol, adflabitq; calorem

„ Cuncta hominum vivo lustrantem lumine corda

„ Aligero perfundentem quoq; sana vapore

Et letabundi vos exultabitis, atq;

Hinc

Hinc atq; hinc alacres salietis, ut ipse per herbas
 Emissus stabulis teneras quem lata juvenus
 Extimulat, vitulus salit, & se pascua in arva
 Concitat, & saltu veloci provocat auras
 Interdum sinuans Alterna volumina Crurum.

▼.3. Et fortes animi invicti calcabitis ausis
 Mortem, orbem, Satnam, Infernū, Peccata Tyrannos
 Et devicta pedum immensā virtute teretis
 Impia secla hominum, velut excrementa viarum
 Pulverulenta lutosi qua sunt sparsa plateis
 Illa luce, meā quam Majestate sereno:

Armipotens dicit qui mundi mœnia torquet.

▼.4. Non unquam capiant vos ulla oblivis legis
 Quam vobis Moses me ipso dictante, tabellis
 Describam geminis, multis ex millibus unus
 Dilectus mihi, proposuit, rerum omnium amissim
 Quamq; ante ora patrum vestrorum, voce supremā
 Confirmavi cum sine alta cacumina montis
 Nubibus in densis quateret vis igne corusca
 Et per terri crepo mutaret murmure tellus

▼.5. Advos ELIAS vates mitetur, at a me.

Quem totum sacra complebo flaminis aurā
 Doctrinam ut falsam intrepide moresq; sinistros
 Arguere, & verum cultum reparare JEHOVÆ
 Possit, quam Domini ipsa dies illuceat orbi
 Magna, & terribilis gelida formidine mortis

▼.6. Ille equidem varia insectarunt nomina Patres
 Divisos, & discordes in religione
 Natos, cum patribus, cum Natis atq; parentes
 Unanimes faciet corde uno, uno ore JEHOVAM

Inci-

Incipiant stabiles ut & unâmente fateri!
 Ergo aures ELIÆ isti submitte vestras!
 Et resipiscentes, niveum cognoscite vere;
 Quem vobis digito extento monstraverit agnum!
 Mactandum pro peccatis septemplex orbis,
 Et fidei manibus solum comprehendite puris
 Ne fors in vosmet gravis ira flamma redundet
 Atq; omnis magnas patiatur terra ruinas!

Scientiâ & Conscientiâ.



INFELICITAS NOSTRI SEculi.

Quis furor? incurvi nunc perditur usus aratri
 Dum validâ tractant Agricola arma manu,
 Atq; Boves in Equos vertunt, in castra casasq;
 Imperio mutant obsequiâq; Fidem.
 Ex stimulis tristi conflatur Lancea ferro,
 Vomere mutato noxia tela Volant.
 Pro Tunicis sumunt Loricas ære nitentes,
 Pro baculo jaculum, pro Feretro pharetram,
 Profundaq; levi, validis Balista lacertis
 Torquetur pila, atq; horrida pro arte pila.
 Simplicitas frans est, Labor est ignavia factus,
 Inq; Tumultum nunc est revoluta quies.
 Transit in Bellum Pax, atq; odia aspera amores,
 Pectora crudeli cara abiêre manu.
 In vim juris honor postus, violentia primas
 Iustitiâ prorsus deficiente, tenet.

Publica

Publica & utilitas privata in damna recessit
 Nunc Nomen furti verè Elemosyna habet.
 Religio ad vanos una est translata Deastros,
 Atq; Idolorum perfidia agra Fides.
 Ipsa superstitione sacras imbuit aras,
 Sacrificiis perit debitus ordo viris.
 Demerit ex aequo juvenesq; senesq; cruentus
 Mucro, quin sexus damna pudoris habet.
 Virginibus sacris nec parcitur: ô scelus ingens
 Claustra nec à Martis tuta furore latent.
 Avertunt piceas non vota Monastica dextras,
 Sacrilegâ rapiunt sacra trahuntq; manu.
 Tempia, Arae, Effigies Divûm, sacraeq; Cathedra
 Velluntur, sanctæ diripiuntur opes.
 Portantur scortorum ornato examina curru,
 In potâ illorum est atq; salute salus.
 Oppida cum Villis, pagos, cumq; Urbibus hauris
 Ignis edax, saxis atq; replentur agri.
 Vastantur segetes, tondentur florea prata
 Frugiferum hortorum diripiturq; decus.
 Montivaga in sylvis perimuntur secla ferarum,
 Serigeriq; globo, trajiciuntur Apri.
 Lanigerae raptantur oves & bucera secla,
 Agnos & vitulos fata culina vorat.
 Pennigerae Volucres secure haut aëra tranant,
 Pinnigerûm Vita haut tuta quiescit aquis.
 Lucis avis Gallus non has ipse effugit iras,
 Cum turba Uxorûm, semimarismq; Capo.
 Innocuas capite abscisso jugulare Columbas
 Vidimus implumi & pignora cara satû:

Demun-

Demuntur nondum matura vitibus Uvæ,
 Vina natant cellis, fusa liquore, cavis.
 Vertitur in prædam facilem quæ sita supellex,
 Defossum argentum virgula flexa docet.
 Ipsa recluduntur violata sepulcra carentium
 Luce, nec hos justè vita peracta juvat.
 Permittente Deo fiunt hæc omnia, in Orbe
 Omnia quantum vis non probet ipse DEUS.
 Ergò opus est precibus, opus est nunc pectore firmo,
 Ergo opus est votis sollicitare DEUM.
 Propitius velit hos iterum sedare Tumultus,
 Et furias Martis vi cohibere sua!
 Invisat nostras nisi jam pax aurea Terras,
 Disperiere Ara, disperiere foci.
 Ipsa Fames Pacis poterat suadere medelum,
 Quæ plebem miseram nunc sine fine premit.
 Prostravit segetes ater vi Grandinis Æther,
 Perdidit heu fruges & glaciale Gelus.
 Floriferos ussit radiis ferventibus Hortos
 Sol, & jumentis defuit ipse cibus.
 Post successerunt undis fluitantibus umbres
 Continui, quibus est humida facta Ceres
 Nec potuit tumidis justè flavescere Aristis,
 Aut curva dignè falce secanda peti.
 Excrevit precium annonæ, prompto ere parati
 Nec semper potuit deficiente penu.
 Quin Mahometicolum nobis nunc arma minantur,
 Nostrosq; invadunt Marte furente focos.
 Et nos servitio cupiunt addicere foedo,
 Ac CHRISTI rabido proterere ense fidem.

Muntz

*Mutua dum nos in nos & fera stringimus arma,
 Alter & alterius sanguine gaudet ali,
 Qui tamen Unanimes Numen corde ore fatemur,
 Una & de CHRISTI nomine Turba sumus.*
*Parcite MAGNATES violento parcite Ferro,
 Cogite nec Fratres funera Marte pati!
 Illos in caelesti olim ecce videbitis arce,
 Quos furor hic vester sole soloq; premit.*
*Fungite contra Hostem CHRISTI vestra arma nefanda,
 Quiq; animum & corpus perdere morte solet.*
*Fungite Caelifluae nunc jungite Fœdera Pacis,
 Et Belli fido solvite amore minas!*
*Vos etiam Agricola Terram proscindite aratro
 Et colite incultos amodo rursus agros.*
*Obsequi vos ipsa Fides praestantius ornat,
 Quam male subsumpti dedecus imperii.*
*Bella gerant alii, Vos ite domum, atq; redite!
 Atq; quietè omnes nunc stabilite domos.*
*Ipsè labor vester proscissa exerceat arva
 Conserat & fœto semina letus agros.*
*Et pecudes pascant per pinguia prata, per herbas,
 Proferat arborea q; insitione comas.*
*Pugnatum satis est! Orbe in toto arma quiescant?
 Divitis & redeat Pacis opima quies.*
*Inter sit Proceres Plebem & Concordia summa,
 Ut vigeant probitate ARA, FORUM atq; FOCUS:*
 SANCTE DEUS, COELI QUI LUCIDA TEMPLA GUBERNAS
 FAC RATA QUAE FACIO DURE SACRA VOTA! ROGO.

d. 23. Julii 1626.

J. C. Rhumelius.

FINIS.

AB: 154 189

ULB Halle


3

006 792 316



VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

ODECA-
DISFATI-
DICÆ

I CHUNRADI RHU-
LI PHILOSOPHI MEDI-
CI DODECAS EPICA

MALEACI
E TRIBU
LEVI.

In Sophirâ.
ANNO

non Ipsa plos fVgIVne DisCrIMina VIta.
1627.



NORIBERGÆ,
Typis HALBMAYERIANIS.